



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

De Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Libri Dvodecim. Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

DE SANCTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO.

LIBRI DVODECIM.

Proemium.



VM hoc mysterium supremum omnium fit, quæ per fidem reuelantur, existimandum non est, eo animo illius disputationem suscipi, vt eius veritas demonstraretur, id enim impossibile esse, infra ostendemus: sed in regulis fidei, & diuina auctoritate veritas huius mysterij, in primis fundanda est. Quæ stabilita, & confirmato mysterio, aliquam illius congruentem rationem, vel potius declarationem inuestigare conabimur, & obiectionibus infidelium pro viribus satisfacere: Ac tandem ea colligere, quæ Theologico more ex principijs reuelatis certius, aut verisimilius elici possunt. Atque hoc modo disputarunt de hoc mysterio antiqui Patres copiosissime, ex Græcis præcipue Athanasius ferè in omnibus operibus suis, & Gregor. Nazianz. in quatuor orationibus de Theologia, & Greg. Nyssen. quatuor etiam orationibus de hoc mysterio, Chrysostomus quinque Orationibus de visione Esaiæ, Basilius lib. contra Eunomium, Damasc. lib. 1. de Fide, & alij multi. Ex Latinis vero primus Tertullianus lib. contra Praxeam, deinde Hilar. libris 12. de Trinit. & l. de Synodis. copiosè Aug. 15. lib. de Trin. & sæpe alias. Fulgent. l. ad obiectiones Arianorum, Idacius Clarus contra Varimandum, Rich. de S. Viç. in lib. de Trinit. Disputarunt etiam Scholastici cum Magistro in 1. per priores 35. distinctiones, commodiori ordine D. Thom. cum expositioribus 1. p. à q. 27. vsq; ad quadagesimam tertiam. Postquam enim de his, quæ pertinent ad Diuinam vnitatem tractauit D. Thom. conuenienti ordine consequenter Trinitatis notitiam dedit, nam ea, quæ ad vnitatem spectant, & cõmuniora sunt, & cognitu faciora, ideoque eorum disciplina præcedere debuit, quibus cognitis, minus etiam difficile est de Trinitate disserere.

Nos vero, cum ad præsens integros in primam partem Commentarios in lucem edere non possimus, eo quod alijs grauissimis occupationibus distenti sumus, ea, quæ ad vnitatem Dei pertinent, in hoc opere supponimus; ex quibus illa omnia quæ naturali ratione inuestigari, & attingi possunt, in nostra Metaphysica pro virili elaborare curauimus, multa etiam, quæ ad scientiam, voluntatem, & providentiam Dei pertinent in alijs nostris opusculis tradidimus, de prædestinatione vero & reprobatione in præcedenti tractatu disputatum est: In præsentem ergo solum de his, quæ Deo, quatenus Trinus est, conueniunt, dicere intendimus. Et quoniam nunc Commentatoris officium non assumimus, ordinem quæstionum D. Thom. non omnino sequemur, ne prolixiores, quam cupimus, esse cogamur. Breuitati taque consulentes etiam compendiosiori methodo vtetur, doctrinæ ordinem, quem in alijs rebus tenere solemus, non prætermittentes.

Prius vero, quam disputationem inchoemus, aduertendum est, cum in tota Theologia vera sit sententia August. l. 10. de ciuit. c. 23. *Philosophi liberum est, quibus voluerint vti verbis, nobis autem ad certam regulam loqui fas est:* in hac materia in primis esse necessarium, quia in nulla periculosius erratur, vt idem Aug. ait, in principio librorum de Trinitate, ideoque in ea maximè verum habet, quod ex Hieronymo in ore omnium circumfertur, *Ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis.* Et ideo tam à sanctis Patribus, quam à Scholasticis non magis in explicando mysterio, quam in docendis loquendi modis elaboratum est, & vnumquodque verbum, in hoc mysterio vsurpandum, diligenter examinatum. Quod olim fuit necessarium, tum quia nec mysterium, nec significationes vocum ita declaratae erant: tum etiam, quia hæretici sub verbis ambiguè errores suos inducere curabant: nunc autem non est tam necessaria de verborum significationibus proluxa disputatio, non tamen omitemus eam, quæ opportuna visa fuerit, præsertim quando voces fuerint propriè Theologicae, & huius mysterij, vt sunt *Trinitas, Notio Circumscriptio, Consubstantialis, & Græcè homousion.* Aliæ vero, quæ sunt commune. Philosophis, vt *Persona, suppositum, subsistentia, relatio,* & similes supponuntur à nobis ex metaphysica. Quomodo vero ad hoc mysterium applicentur, explicabimus.

INDEX